

314 (Q. 327) De Commemoratione Defunctorum

De cantu Sequentiae in Missis solemnibus aut cantatis, confer quae dicta fuerunt Q. 318.

ARTICULUS II

DE COMMEMORATIONE OMNIUM FIDELIUM
DEFUNCTORUM

Q. 327. *Pauca refer de introductione ritus, quo præstituto die 2 Novembri Commemoratio agitur, per Officium et Missam, Omnium Fidelium Defunctorum.*

R. I. Quidam auctores putant Amalarium Metensem († circa 857) intendisse Commemorationem Omnium Fidelium Defunctorum, ubi dicit : « Sicut Sanctorum anniversaria dies in eorum honore ad memoriam nobis reducitur super utilitate nostra, ita defunctorum ad utilitatem illorum et nostram devotionem implendam, credendo eos aliquando venturos ad consortium Sanctorum. (De ecclesiasticis Officiis, Lib. IV, Cap. 44.) Et alibi : « Post officium Sanctorum officium pro mortuis. » (De Ordine Antiphonarii, Cap. 65.)

II. Quidquid sit de Amalarii intentione, certum est, tantum post sæculum et amplius, Commemorationem universalem Defunctorum, celebrata pridie Commemoratione Omnium Sanctorum, fuisse institutam a Sancto Odilone, Abbe Cluniacensi († 1049), pro omnibus monasteriis Cluniacensibus ; ipse enim decrevit : « ut sicut in ecclesiis Dei, quæ per orbem terrarum longe lateque constructæ sunt, in die Kalendarum Novembrium agitur festivitas omnium Sanctorum, ita apud nos agatur festivo more Commemoratio omnium fidelium defunctorum, qui ab initio mundi fuerunt usque in finem. » (Mabillon, Acta Sanctorum Ordinis Sancti Benedicti.) — Apud Cluniacenses prima vice celebrata fuit haec Commemoratio anno 998.

III. Inter primos qui S. Odilonis exemplum sunt secuti, notatur Notgeris, Episcopus Leodiensis († 1007) ; et quoniam tunc temporis Mechliniæ Dominium numerabatur inter possessiones Ecclesiæ Leodiensis, æstimare licet, jam a primæva institutione in Civitate

De Commemoratione Defunctorum (Q. 328, 329) 315

Mechliniensi fuisse celebratam Omnium Fidelium Defunctorum Commemorationem.

IV. Hunc vero ritum Summi Pontifices non tantum approbaverunt, sed etiam ad universam propagarunt Ecclesiam, ut notat Martyrologium Romanum, in elogio S. Odilonis, ad Kalendas Januarii.

Q. 328. *Quid notandum est pro celebrazione Missarum in hac Commemoratione ?*

R. Omnes Missæ, præter unam conventualem in Cathedralibus et Collegiatis, celebrari debent de *Requiem*, etiamsi Officium fieret de Festo duplice ; et dicitur Missa prima de quatuor assignatis.

Hæc tamen Missa applicari potest ad libitum Sacerdotis, vel pro omnibus defunctis, vel pro aliquibus aut aliquo tantum, ut respondit S. Rituum Congregatio, per Decretum 4 Augusti 1663 (n. 1275, antiq. 2241, n. 9) ; in omni casu tamen dicenda est unica Oratio *Fidelium*.

Missa cujuscumque Sacerdotis hoc die gaudet eodem privilegio, ac si esset in Altari privilegiato celebrata, ex Decreto Clementis XIII, diei 19 Maii 1761.

NOTA. Per Litteras in forma Brevis, 21 Augusti 1746, Benedictus XIV omnibus et singulis, in Hispaniarum et Portugallie regnis et dominiis actu commorantibus Sacerdotibus facultatem, perpetuo futuris temporibus duraturam concessit, ut in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum tres Missas singuli celebrare possint et valeant ; ad finem ut multiplicatis in hoc die Ecclesiæ militantis suffragiis, piorum animæ in purgatorio detentæ subleventur ; et sub conditione, ut pro omnibus Fidelibus Defunctis in genere fiat applicatio secundæ et tertиæ Missæ, et pro his duabus Missis nullum prorsus stipendum quocunque prætextu aut colore accipi valeat.

In aliis locis tale privilegium non exstat ; et illicitum est, non obstante quacumque consuetudine, ut hoc die ab uno Sacerdote tres Missæ celebrentur. (Decret. S. Rituum Congregationis, 11 Januarii 1676, n. 1554, antiq. 2762.)

Sæpe postulatum fuit, ut hujusmodi facultas ad alia regna protenderetur ; sed ejus extensio hucusque concessa nondum fuit. (Cfr. Benedictus XIV, *De Sacrosanto Sacrificio Missæ*, Lib. III, Cap. IV, nn. 9, 10, 11 ; et ejusdem Litteræ Apostolicæ, 21 Augusti 1746, *Quod expensis*, apud Mühlbauer, Decreta S. Rituum Congregationis Tom. II, pag. 102.)

Q. 329. *Quid de speciali gratia indultum fuit pro quibus-*

316 (Q. 330) De Commemoratione Defunctorum

dam Missis de Requiem, infra Octavam Commemorationis
Omnium Fidelium Defunctorum celebrandis?

R. In plerisque Ecclesiis parochialibus, per octo dies continuos inde a die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum, varia pro animarum requie pia exercitia locum habent. Hucusque, absque Indulto speciali, licitum non erat infra hoc octiduum Missas de *Requiem* celebrare, nisi in diebus quibus Rubricæ Missas privatas, seu quotidianas de *Requiem* permittunt. De speciali vero gratia, nuper permisit S. Rituum Congregatio, « ut in duplicibus minoribus celebrari quoque possint Anniversaria, quamvis a die obitus non sint, quæ a Religiosis Communitatibus, a Canonicorum Collegiis, a Confraternitatibus, aut ab aliis quibuscumque piis Sodalitatibus, pro Confratribus defunctis, semel in anno fieri solent; necnon illa, quæ pro fidelium pietate infra Octavam Omnium Fidelium Defunctorum locum habent, exceptis diebus privilegiatis. » (Decret. 2 Decembris 1891, n. 3753, ad V.)

Reputantur hujusmodi Missæ, infra Octavam Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum, tamquam Anniversaria late sumpta (de quibus postea dicetur in Articulo V); et celebrantur sub ritu qui duplice respondet, ergo cum unica Oratione (cfr. Q. 324, 3^o); debent esse solemnes, aut in cantu. Infra hanc Octavam igitur possunt quotidie celebrari, excepta Dominica, et exceptis Festis, si alicubi occurrerent, quæ duplia majora, aut 1 vel 2 classis sunt. — Si autem alio tempore extra Octavam Defunctorum celebrantur, prohibentur hujusmodi Anniversaria in Festis duplicibus 1 et 2 classis, ac majoribus et Festis de præcepto; in Dominicis; infra Octavas privilegiatas Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschæ, Pentecostes, et SS. Corporis Christi; in Feriis privilegiatis, IV Cinerum, et Hebdomadæ Sanctæ; in Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes; et tempore solemnis Expositionis SS. Sacramenti.

Q. 330. Quid fit, si 1^o dies 2 Novembris sit Dominica; et 2^o sequenti die alicubi celebretur, ritu duplice 1 classis, Festum S. Huberti tamquam Patroni principalis loci; aut

De Commemoratione Defunctorum (Q. 330) 317

3^o hoc sequenti die Festum S. Huberti celebretur alicubi cum magno populi concurso?

R. Ad I. Cum pugnet admodum cum celebritate, lætitia ac mysteriis per Dominicam repræsentatis, celebratio Commemorationis Defunctorum, ideo casu quo 2 Novembris sit Dominica, Commemoratio Fidelium Defunctorum transferri debet in Feriam II sequentem, 3 Novembris. (Decret. S. Rituum Congregationis, 9 Julii 1895, n. 3864, ad 2.) In hac die 3 Novembris celebratur in nostra Diœcesi Festum duplex minus S. Huberti, Episcopi et Confessoris; dicitur Officium de S. Huberto, Missæ vero celebrandæ sunt de *Requiem*.

Ad II. Casu quo ratione Dominicæ Commemoratio Defunctorum transferatur in 3 Novembris, si hac die celebratur alicubi Festum Patroni principalis loci, vel Titularis Ecclesiæ, nempe in locis in quibus S. Hubertus est Patronus, aut Titularis, cum eadem rationes, ob quas hæc Defunctorum Commemoratio facienda non est in Dominica, ferme militent occurrente hujusmodi Festo, Commemoratio Fidelium Defunctorum in his locis transferenda erit in Feriam III, 4 Novembris. (Decretum supra citatum.)

Ad III. Ubi Festum S. Huberti non quidem est patronale, sed celebratur cum magno populi concurso, cum non posset in sequentem diem hæc solemnitas transferri sine obloquio aliquisve incommodis, licet quando ratione Dominicæ Commemoratio Defunctorum transfertur in 3 Novembris, in qua celebratur Festum S. Huberti, cantare in illis Ecclesiis unam Missam de Festo S. Huberti, dummodo cantetur etiam altera Missa de *Requiem* pro Defunctis. Ita facere licet in nostra Diœcesi, juxta particulare Rescriptum S. Rituum Congregationis, 7 Septembris 1850, *Mechlinien*.

NOTA. « Si autem in solemnî hac Defunctorum Commemoratione Expositio SS. Sacramenti habenda sit pro Oratione 40 Horarum, Missa unica de eo non omittatur; sed reliquæ sint pro Defunctis, ad Altare Expositionis non dicantur et celebrentur in colore violaceo. » (Decret. S. Rituum Congregationis, 9 Julii 1895, n. 3864, ad IV.) — In casu licet quidem Officium Defunctorum dicere, sed Absolutio post Missam debet

318 (Q. 331, 332) De Missa in die obitus

omitti. (Cfr. Tractatus de administratione Sacramentorum, Q. 187, Appendix II in fine.)

Q. 331. Quæ Missa cantatur, si hoc eodem die contingat occurtere diem Depositionis Defuncti, et præsente corpore Missam de Requiem pro Defuncto celebrari?

R. Per Decretum 20 Septembbris 1687 (n. 1788, antiq. 3149), S. Rituum Congregatio resolvit, in hoc casu, ultra Missam de Commemoratione Fidelium Defunctorum, ubi hæc obligat (quæ obligatio solum Cathedrales et Collegiatas afficit Ecclesias, non alias quæ conventionalium Missarum lege minime tenentur), cantandam esse, præsente corpore, Missam unicam ut in die Obitus seu Depositionis. Aliæ autem Missæ omnes, etiamsi pro Defuncto celebratæ, dicendæ sunt de Commemoratione Fidelium Defunctorum. (Cfr. etiam Decret. 9 Julii 1895, n. 3864, ad 5.)

Et ad dubium: « Quænam Missa de Requie sumenda est in Ecclesiis unam tantum Missam habentibus, quando in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum occurrit alicujus Defuncti dies depositio- nis? » S. Congregatio rescribendum censuit: « Missa erit ut in die obitus. » (Decret. 28 Aprilis 1902, ad 6; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVI, 1902, pag. 354.)

ARTICULUS III

DE MISSA IN DIE OBITUS SEU DEPOSITIONIS

Q. 332. Quid intelligitur per diem Obitus seu Depositionis?

R. Obitus dies ille proprie est quo quis vivere desi- nit. Depositio idem plane significat, si *deponere accipiat* tur pro *demoliri et solo æquare*; ita S. Petrus (II, Cap. I, v. 14) dicit: « Certus quod velox est depositio tabernaculi mei. » At, si *deponere sumatur pro credere, com- mittere fidei et diligentia alterius*, ita ut dicatur *depositio ipsa cadaveris terræ traditio*, idem non est depositio quod obitus. — Ab Ecclesia tamen dies isti, mortis scilicet ac sepulturæ, in præsenti materia Missæ de Requiem confunduntur et pro iisdem accipiuntur; unde

De Missa exsequiali (Q. 333) 319

in Collecta orat Sacerdos pro anima « *quam hodie de hoc sæculo migrare jussisti* », licet Missam celebret in die sepulturæ jamque præterito die obitus; hoc autem, non quia non sunt in casu diversi hi dies, sed quia morali- ter censentur idem dies. — Insuper, distinctiva super- scriptio hujus secundæ Missæ « *in die Obitus seu Depositionis* » includit non tantum diem quo defunctus obiit, et diem quo corpus cum consuetis precibus terræ man- datur, sed etiam dies intermedios; adeo ut totum spa- tium quod mortem inter et sepulturam intercedit, re- putetur in favorem Defuncti tamquam unus dies. Hinc tamen non est inferendum, singulis diebus in hoc tem- pore inclusis iterari privilegia pro defuncto in obitu seu depositione concessa: semel enim tantum, seu in uno solum ex præfatis diebus, privilegia concessa sunt.

Porro Missa de *Requiem* quæ hoc temporis spatio pro defuncto celebratur, et cujus regulæ hic jam sunt tradendæ, vocatur *Exsequialis*; estque secunda ex qua- tuor de Missis de *Requiem*, cum Oratione propria, sicut notatum fuit Q. 325.

Exsequiæ, quæ in Liturgia etiam vocantur **Agendæ Defunctorum**, vel **Funus**, exprimunt non tantum Mis- sam, sed et omnia quæ aguntur præter Missam occa- sione Depositionis, quæ sunt: Processio ad deferendū corpus ad Ecclesiam, Officium, Absolutio, Sepul- tura. De his agitur in Tractatu de administratione Sa- cramentorum.

§ 1. De Missa exsequiali, præsente corpore defuncti

Q. 333. Quodnam est Ecclesiæ votum de celebranda Missa præsente corpore defuncti?

R. Ecclesia in votis maxime habet, ut **præsente De- functi corpore**, Missa, et quidem Missa de *Requiem* pro Defuncto celebretur. Dicit enim Rituale Romanum: « Quod antiquissimi est instituti, illud, quantum fieri poterit retineatur, ut Missa, præsente corpore Defun-cti, pro eo celebretur, antequam sepulturæ tradatur. » (Tit. VI, Cap. I, n. 4.)

Ideo privilegia quam maxima concessa sunt pro Missa quæ, juxta expressum Ritualis Romani votum,